

bus dubiis, juvat condicionem **fortunarum** utriusque sincere exponere, etiam si plus possideant quam Pius VI cit. Litt. fere pauperibus assignat: nam, etiam in eo **casu**, hodie dispensatio in forma pauperum conceditur. (Feye, n. 692) Semper autem de condicione oratorum authenticum Ordinarii testimonium addatur necesse est.

Quodsi falso allegata fuit oratorum paupertas, valet dispensatio concessa a Dataria, ut e praxi illius tribunalis constare communissime tenent DD. (Feye, n. 696) Attamen oratores tenentur solvere jus Dataiae Apostolicae. (S. Poenit. 1 Dec. 1852) At dispensatio concessa a S. Poenitentiaria, vi facultatum quas pro foro externo habet, juxta communiorem sententiam, invalida est, si oratores reapse pauperes non sunt. (De Becker, p. 317) Rationes afferunt: tum proxim hujus tribunalis, tum defectum potestatis in Majore Poenitentiario, qui facultatem dispensandi pro foro externo **unice** pro pauperibus accipit. Rem tamen ut dubiam proponunt etiam qui recentissime de praxi Romanarum Congregationum scripserunt; ex. gr. Zitelli (p. 70), qui refert S. C. C. 28 Jun. 1873 de eodem argumento interrogatam responsum dedisse dilatorium: "Nihil esse innovandum." Quare, cum Gennari (Cons. Mor. Cons. Can. 30), censemus matrimonium post obtentam hujusmodi dispensationem tuta conscientia iniri posse, cum probabilitas juris valori concessionis faveat.

Attamen etiam ubi a Dataria in forma pauperum dispensatur, exigitur aliqua modica taxa paucorum francorum pro sustentatione ministrorum hujus tribunalis. Quodsi oratores adeo pauperes sunt ut eam solvere non possint, recurrent potius ad S. Poenitentiariam: haec enim saltem a nostratis nihil aliud postulat nisi ut resarciantur expensae *postales* et solvantur pauci franci (in regione nostra fere decem) pro labore *agentis* qui forte Romae operam suam praestiterit dispensationi obtaindæ.

Episcopus, vi tacitae vel expressae delegationis, dispensans in impedimentis matrimonialibus, nullam eleemosynam imponere potest: siquidem hujusmodi prohibitio semper concessioni facultatum adnectitur. (Instr. S. C. de P. F. 8 Sept. 1869; Coll. P. F. n. 1509) Immo S. C. C. 28 Jan. 1882 (Coll. P. F. n. 1510) reprobata est "consuetudo qua Officiales curiae episcopalibus, ob executionem dispensationum quae ab Ap. Sede conceduntur super matrimonii impedimentis, quaedam munera, praemia vel stipendia nedum accipere, sed et exigere solet." Ipsa S. Sedes sine

pios usus erogandam; deinde, si oratores allegantes paupertatem, nullam offendunt, aut non excedentem taxas S. Poenitentiariae, Ordinarius instantiam ad S. Poenitentiariam mittit, dicens oratores pauperes nihil solvere posse, aut non nisi hanc summam; secus instantiam mittit ad S. Datariam, dicens oratores talem pecuniae summam obtulisse, quam S. Dataria acceptat loco componendæ. (Gasp. De Matr. I. n. 318)

taxis largitur dispensationes matrimoniales in locis quae S. C. de Prop. Fide subjacent. Non est tamen illicitum episcopo taxam imponere pro sustentanda cancellaria, ut declaravit Conc. Balt. III. n. 134.

#### § 4. DE EXECUTIONE DISPENSATIONUM.

**529. I.** Ad executionem dispensationum matrimonialium imprimis refert utrum in **forma commissoria** an in **forma gratiosa** concessae sint. Priorem adhibere solent tribunalia Romana: per hujusmodi rescriptum, S. Sedes alicui delegato confert facultatem dispensandi sub certis conditionibus in eodem documento expressis, seu, ut multi AA. loquuntur, *fulminandi* dispensationem. Posteriore forma uti solent episcopi: ab ipsis nimirum directe conceditur dispensatio iis qui impedimento laborant, ita ut nihil supersit faciendum praeter meram executionem collatae dispensationis.

Hoc formae discrimen praesertim attendendum est ubi quaeritur, quo praecise momento vera esse debeat causa ob quam dispensatio datur. Manifestum est requiri ad valorem ut vera sit eo momento quo directe dispensatio conceditur. Quare invalida foret si causa non subsisteret, cum delegatus S. Sedis, e facultate sibi facta, rescriptum exsequitur vel cum episcopus dispensationem impertit. Plures insuper requirunt ut causa vera sit quando S. Sedes mandatum dat dispensandi; attamen practice tuta est sententia hanc necessitatem negans, eo quod nulla certa ratione vel documento probatur. (Feye, n. 724)

Praecipuum vero discrimen viget inter dispensationes quae pro foro externo et eas quae pro foro interno conceduntur, tum quoad executorem cui committuntur, tum quoad clausulas quibus muniri solent.

**II.** Dispensationes **pro foro externo** hodie, ex Litt. Encycl. S. Inqu. 20 Febr. 1888 (Coll. P. F. n. 1471), omnes committuntur Ordinario oratorum vel Ordinario loci; exsequendae sunt ab illo Ordinario qui litteras testimoniales dedit vel perces transmisit ad S. Sedem, sive sit Ordinarius originis, sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi quo tempore executioni danda erit dispensatio, reliquo illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint, non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire iudicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur. Fas est etiam Ordinario praedicto ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim in cuius dioecesi sponsi actu degunt.

Dispensationes **pro foro interno** a Majori Poenitentiario inscribi hodie solent: "Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario."

Quare eas exequi potest quilibet confessarius approbatus ab Ordinario loci, in quo litterae executioni mandandae sunt. Jam pene ab usu recessit easdem inscribi, ut olim fiebat : " Discreto viro Confessario magistro in Theologia vel Decretorum doctori. " (Zitelli, op. cit. p. 85)

**530. III.** De exsequendis dispensationibus a **Dataria** concessis, praecipue haec notanda veniunt :

1º Invalida esset fulminatio quae fieret antequam originale documentum Brevis Apostolici prae manibus esset Ordinarii, etiamsi is per litteras, telegraphum, etc., certam notitiam obtentae dispensationis habuisset, nisi (quod raro fiet) notitia haec ex officio, auctoritate S. Sedis, transmissa fuisset. (n. 327. V) Quare, post acceptum originale documentum, opus foret nova dispensationis executione. (S. Poenit. 15 Jan. 1894; N. R. Th. t. 26. p. 406) Idem dicendum si oratores, ante execucionem dispensationis, ex errore in forma Tridentina contraxissent. (S. Poenit. 27 Jun. 1885 ; N. R. Th. t. 19. p. 59)

2º Exsecutor accurate omnes rescripti clausulas considerare iisque inhaerere debet. Communiter etiam ad valorem diespensationis pertinent quaelibet clausulae expressae per particulas *si, dummodo, postquam non aliter, sic nec alio modo* vel per ablativum absolutum : excipe si aliunde, praesertim e stylo Curiae vel rei natura, constet aliquam ex iis tantum ad liceitatem requiri. Cum non raro dubium sit utrum clausula ad valorem an ad solam liceitatem referatur, exsecutor solitas omnes adimpleat ne dispensationem in periculum nullitatis conjiciat.

3º Exsecutor sub gravi debet investigare num preces veritate nitan-  
tur. Potest informatio desumi ex authenticis documentis publica fama, testibus, examine extra-sacramentali oratorum : neque hic requiritur forma judicialis, nisi in ipso rescripto praescribatur vel adsit contradic-  
tor. Potest Ordinarius alium, puta parochum, delegare ad informationem istam faciendam. Haec certe non pertinet ad dispensationis valorem, sicut manifestum est e mutatione quam Leo XIII 28 Aug. 1885 (Act. S. S. t. 28. p. 512) rescriptis Datariae induxit. Etenim clausulae : " Si preces veritate niti repereris „ jussit substitui istam : " Si vera sint exposita. "

4º Clausula hodierna : " Remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem, tempore tibi beneviso, si fieri potest „ ita intellegenda est ut separatio praefferenda sit aliis modis reparandi scandali, quod forte adfuerit ; modus tamen scandali reparandi remittitur prudenti arbitrio et conscientiae Ordinarii, juxta cujusque casus exigentias, ut similem clausulam suam explicuit S. Poenit. 12 Apr. 1889. (Coll. P. F. n. 1498)

5º Quando in libello supplici expositus est incestus, datur facultas delegato absolvendi hac vice tantum, per se sive per alium, a censuris

et poenis ecclesiasticis, si quas ob praemissa incurrerint, et ab incestus reatu. (S. Inqu. 21 Sept. 1888 ; Coll. P. F. n. 1497) Haec absolutio est extra-sacramentalis, et a delegato sive voce, sive scripto dari potest : sic absolutus in foro tam externo quam interno immunis est a poenis quas ob incestum incurrit. (Zitelli, p. 82) Adhiberi potest forma Rit. Romani : quae tamen ad valorem minime requiritur.

6º Poenitentia salutaris, quam jubetur delegatus imponere iis qui incestum patraverint, ad valorem dispensationis minime pertinet, neque quoad impositionem, neque quoad impletionem. (Ball. B. n. 1394) Gravis poenitentia censetur confessio per sex menses semel in mense insti-  
tuenda, rosarium per idem tempus ter in hebdomada recitandum, et similia. Quodsi imponenda praescribitur poenitentia determinata, non licet Ordinario eam mutare.

**531. IV.** De dispensationibus quae a **S. Poenitentiaria pro foro externo pauperibus** (n. 522) conceduntur, adverte :

1º Additur clausula : " Erogata ab eis aliqua eleemosyna judicio ipsius Ordinarii taxanda et definienda „ vel alia similis. Constat autem impositionem talis eleemosynae ad valorem dispensationis minime per-  
tinere, ut declaravit S. Poenit. 10 Jun. 1876 (Coll. P. F. n. 1493) ; immo prudenti judicio et conscientiae Ordinarii remitti ut de ea sileat, ex. gr. cum pauperrimis oratoribus, prout declaravit eadem S. Poenit. 11 Nov. 1890 (N. R. Th. t. 23. p. 81)

2º Non satis convenit inter AA. utrum poenitentia quae, in casu incestus, rescriptis S. Poenitentiariae pro pauperibus (vel etiam Datariae in forma pauperum dispensantis) imponenda praescribitur, ad valorem an ad solam liceitatem dispensationis pertineat. (Feye, nn. 743 et 746) Sane deest clara ratio ob quam hoc discrimen cum rescriptis Datariae in forma ordinaria statuatur. Sed practice tutius eligendum est ne valor periclitetur.

3º In eodem casu incestus apponitur clausula : " Exhibita fide sacra-  
mentalnis confessionis. „ Haec per se condicio est : quare si praevideatur alterutram saltem partem ei paritaram non esse, expedit in supplicatione petere ut omittatur. (Zitelli, p. 85)

4º Cetera quae de exsequendis et interpretandis Datariae rescriptis dicta sunt, etiam praesentibus S. Poenitentiariae dispensationibus applicanda sunt.

**532. V.** De dispensationibus quae a **S. Poenitentiaria pro foro interno** conceduntur, adverte praecipue :

1º Examen de veritate precum ad liceitatem tantum praemittendum est. Credendum est ipsis poenitentibus, nisi confessarius aliunde scientia extra-sacramentali contrarium sciret.

2º Occasione illegitimae affinitatis additur clausula " sublata occasione peccandi. „ Occasio igitur voluntaria et proxima omnino tollenda, necessaria vero in remotam vertenda est. Quodsi poenitens nolit parere, confessarius nequit exsequi dispensationem. (Zitelli, p. 88)

3º Clausula : " Audita prius ejus sacramentali confessione „ vel similis quae apponi solet, pertinet ad valorem. Omnino igitur necessarium est ut hujusmodi rescriptum executioni mandetur in sacramentali confessione. Sed, quamvis curandum sit ut poenitens simul ad absolutionem peccatorum disponatur, valida erit dispensatio data sine absolutione post solam confessionem sacramentalem (S. Poenit. 4. Jan. 1839), vel etiamsi contingat poenitentem invalide ac sacrilege confiteri, ut alias respondit S. Poenit. citata apud Carrière, de Matr. n. 1168.

4º Impositio cuiusdam poenitentiae, distinctae a poenitentia sacramentali, ad valorem dispensationis requiritur, juxta communem AA. sententiam. (Feye, n. 752) Quidam tamen quos citat Rosset (n. 2727) opinantur eamdem ad solam liceitatem requiri quando non est specifica in ipso rescripto determinata, sed ab executore determinanda. De quantitate poenitentiae imponendae, cfr. quae supra (n. 530) de simili clausula diximus. Si injungenda est, vi rescripti, confessio menstrua, sufficit eam praescribere ad sex menses.

5º Clausula : " Dummodo impedimentum sit occultum „ vel " omnino occultum „ satis patet e supra (n. 465) dictis.

6º Addi solet : " Ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragetur. „ Ideo si forte impedimentum occultum, a quo oratores dispensantur, publicum evadit, nova dispensatio pro foro externo erit obtinenda : in hoc enim proles reputaretur illegitima, quamvis parentes coram Deo legitimi conjuges manerent. (Zitelli, p. 92)

7º Jubentur litterae S. Poenitentiariae post earum executionem, sub excommunicatione latae sententiae, *comburi seu laniari*. Igitur sub gravi intra triduum destruendae sunt, quavis tandem ratione id fiat, litterae authenticae. Licet tamen descriptum exemplar servare, ex. gr. instructionis causa.

8º Si impedimentum unam tantum partem afficit, ex. gr. votum castitatis, vel si in uno tantum culpabile est, qualis est affinitas a sponsa inducta per copulam illegitimatam cum sorore sponsae, sufficit cum una parte dispensare. At si impedimentum *utriusque* commune et in utroque culpabile est, quale esset impedimentum *criminis*, uterque ad confitendum accedere et salutarem poenitentiam accipere debet, sive apud eundem confessarium, sive apud duos diversos confessarios : nam litterae S. Poenitentiariae, post confessionem *unius* partis, per alteram partem alteri confessario transmitti possunt. (S. Poenit. 15 Nov. 1778) Attamen, aliquid impedimentum sublatum quoad unam partem maneat eo ipso sublatum

tum quoad alteram, valida foret dispensatio etiam in hoc casu, quamvis cum uno tantum executioni daretur. (S. Poenit. 7 Febr. 1832)

**533. VI.** Dispensatio pro foro externo danda est in scriptis, quamquam etiam ore teuus data probabilius valet. Insper expressis verbis dispensatio efferenda est, mentione facta impedimenti quo oratores teneantur : non improbabile tamen est valere dispensationem si tacite tantum daretur dispensatio, declarando, ex. gr. oratoribus licitum esse inire matrimonium. (Zitelli, p. 104)

Dispensatio pro foro interno viva voce in confessione facienda est. Regulariter post absolutionem sacramentalem exprimenda est dispensatio quae indulgetur; nulla tamen certa formula de preecepto injungitur. Sic, si agitur de matrimonio nondum invalide inito, dici potest : " Et insuper, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento (ex. gr. affinitatis ex copula illicita) ut, eo non obstante, matrimonium cum dicta muliere, servata forma Concilii Tridentini, contrahere et in eo manere libere possis et valeas. Eadem auctoritate prolem suscipiendam legitimam fore declaro. „ Quodsi agitur de matrimonio jam in forma Tridentina contracto, omittitur mentio ejusdem formae et inseritur *de novo* (contrahere) et, si opus est, proli suscipiendae additur *jam suscepta*. In casu sanationis in radice dicitur : " matrimonium a te nulliter contractum in radice sano et consolido prolemque susceptam et suscipiendam legitimam fore nuntio et declaro. „ Si confessarius in modo exsequendae dispensationis erraverit, poterit, ideoque et debet sententiam suam male latam reformare.

Insper adverte non indigere nova dispensatione eum qui, obtenta dispensatione ab impedimento affinitatis ex copula illicita, ex. gr. cum consanguinea sponsae, iterum *cum eadem* peccat. Id enim, si ante executionem contingat, per eam tolletur : nam moraliter idem impedimentum manet ; si autem post executionem contingat, impedimentum semel sublatum non reviveret. (S. Alph. n. 1140)

## CAPUT VI.

## DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

**534.** Varias ob causas contingere potest ut parochus vel confessarius certior fiat de nullitate matrimonii publice vel clandestine initi. Regulariter autem adnoti debet ut putativum conjugium validetur potius quam abrumptatur, cum validatio aptior esse soleat ad scanda praeca-

venda et utriusque salutem procurandam, praecipue si pseudo-conjuges jam liberos suscepint. Quandoque tamen, ob periculum fidei vel morum uni parti ex alterius consortio imminentis, solutio putativi conjugii praferenda foret. Nonnumquam etiam juvabit in bona fide relinquere putativos conjuges, vid. quando ambo in ea versantur, neque probabilitas timendum est ne ab ea deturbentur vel impedimentum publicum fiat; aliunde vero timetur graviora mala vel scandala e monitione, ex. gr. quia una pars nollet praestare id quod absolute ab ea praestandum foret ut matrimonium revalidaretur. Ubi talia damna non timentur, adsunt vero rationes sufficietes ad dispensationem obtainendam, regulariter monendi sunt etiam ii qui in bona fide versantur: proderit enim ipsis gratiam sacramenti suspicere, et ab omni periculo dubiorum in posterum liberari. Sed plerumque praestabil monitionem differre donec dispensatio obtenta fuerit, praesertim ubi agitur de impedimento infamante: secus enim in magnas angustias conjicitur pars impedimenti conscientia, cum ab usu conjugii prorsus abstinere debeat, neque causam talis abstinentiae comparti manifestare queat.

Haud leve discrimin in modo revalidandi matrimonii reperitur, prout ratio nullitatis est defectus solius consensus matrimonialis, defectus formae Tridentinae, vel impedimentum proprio dictum, quo scil. partes ad contrahendum inhabiles reddantur. Quare de triplici illa hypothesi singillatim agemus.

#### § 1. DE MATRIMONIO NULLO OB DEFECTUM CONSENSUS.

**535.** Quotienscumque matrimonium irritum est ob solum defectum consensus substantialis, convalidari potest, absque ulla dispensatione, per consensum valide praestitum. Id contigit quotiens unicus defectus est in consensu utriusque vel alterutrius partis ficto, per metum extorto, ob errorem vel condicionem substantialiter vitiato, etc.

Igitur si uterque invalide consensit, necesse est ut consensus ab utroque detur, remoto impedimento quo antea vitiatus fuit, ex. gr. cesseante metu vel errore; si unus tantum dedit consensum nullum, ex. gr. ob fictionem vel metum, sufficit ut ab eo novus consensus validus detur, perseverante consensu alterius partis. Ita enim obtinebitur inter utrumque consensum moralis unio: quae plane sufficit. (n. 457) Censendum autem est alterius partis consensus moraliter perseverare, quotienscumque illum non positive revocaverit; neque obstat dispositio animi qua forte, cognita matrimonii nullitate, a comparte discedere vellet: siquidem hic unice attenditur actualis ejus voluntas, minime vero ea quam, verificata qualibet hypothesi, habitura esset. Consensus autem a parte

nullitatis conscientia praestari potest vel expresse vel etiam exercite, puta per copulam conjugali animo habitam. Attamen necesse est ut novus consensus ponatur independenter a priore, qui invalidus supponitur: quare oportet ut qui metum passus sit etc. nullitatem matrimonii cognoscat. Insuper, cum nonnulli AA., enumerati a S. Alph. (n. 1114), censeant requiri ut altera quoque pars de nullitate matrimonii moneatur, conandum est ut id fiat, quotiens nullus probabilis timor est ne matrimonium abrumptatur vel scandala oriuntur.

Quatenus, in hoc casu, sit iterum contrahendum in forma Tridentina, colliges ex dicendis n. 538: eadem enim distinctio hic adhibenda est.

#### § 2. DE MATRIMONIO NULLO OB DEFECTUM FORMAE TRIDENTINAE.

**536.** Quando matrimonium nullum est unice ob defectum formae Tridentinae, nulla opus est dispensatione, sed sufficit ut in forma consueta contrahatur.

Quodsi uterque conjux paratus est se sistere coram parocho et testibus, revalidabitur matrimonium in forma consueta, occulte si nullitas occulta est, publice si nullitas publica est. Attamen, juxta Instr. a Cardinali Caprara, Legato a latere in Gallia, editam 25 Aqr. 1803, etiamsi nullitas publica est, poterit Ordinarius, ob peculiares circumstantias, indulgere ut occulte adhibeatur forma Tridentina, dummodo publicum scandalum alia ratione removeatur. Ita, etiam renuente alterutro vel utroque pergere ad ecclesiam, poterit contrahi in quolibet loco, adhibita forma substantiali.

Si una pars renuit coram parocho comparere, conandum est ut per procuratorem vel litteras contrahere velit. (n. 495. II) Saepe etiam, ne tentatis quidem hisce mediis, juvabit recurrere ad sanationem in radice. (Feye, n. 779)

Si neutra pars formam substantialem adhibere velit, nihil tentandum est donec ad meliorem frugem redeant: siquidem Ecclesia in hoc easu sanationem in radice absolute quidem potest, sed non solet concedere.

Tandem si conjuges, postquam matrimonium clandestinum contraxerint in loco ubi viget decretum *Tametsi*, sedem figunt in loco ubi non viget, matrimonium eorum revalidabitur eo ipso quod, nullitatis conscientia, consensus renovant, saltem per copulam conjugali animo habitam. Si vero nullitatem ignorarent vel ad eam nullatenus attenderent, matrimonium eorum non convalidaretur per continuatam vitam conjugalem: sic enim confirmaretur tantum prior consensus invalidus, non daretur novus a priore independens, quod necessarium foret. (De Becker, p. 340) In hunc sensum solvit casum particularem S. Inqu. 31 Aug. 1887. (ap. Gasp. n. 982)